

Quæ postquam patria longe a tellure recessit,
Nec jam usquam apparet litus, nec culmina celsa
Vertice frondifero; cœlum undique, & undique fluctus
Se circum ut vides, tales dedit ore loquelas:

Quo divine vehis bos raptam? quisnam es? & o quæ
Arte viam carpis, gravibusque insistere ponto
Haud horres pedibus? maris unda est pervia pandis
Navibus; horrescunt fortis vaga cœrula tauri.
Heic tibi qui potus dulcis? quæ pabula in undis?
An deus es? diuos at cur quod dedecet, ultra
Ipse facis? lucis nec delphin curvus in altis,
Sylvicolæ nec tauri errans in gurgite ponti:
Tu terraque ruis pelagoque; dat ungula remos.
Fors etiam volucri sublimis in æra nisu
Effugies, summumque petes novus ales olympum;
Me miseram! longe patris quæ sede relicta
Haud ulla timui insidias, taurumque sequuta
Rapta per undisonos temere vigor avia tractus,
Tu facilis Neptune, maris cui tradita eura est,
Adsis o propiusque juves: da visere tandem
Te comitem cursusque ducem. sine numine divum
Non ego sic placidas ponti feror acta per undas.

Hæc illa; hæc taurus contra tum corniger infit;
Sume animos, virgo; pelagi nihil unda nocebit.
Namque ego sum, quamvis videar bos esse tuenti,
Juppiter: in quodcumque volo, me vertere possum,
Nunc adeo tuus altus amor pulcherrima taura
Assimilem longum fecit metirier æquor.

Te Creta incolumem capiet, quæ me quoque parvum
Nutriit. ipsa illic mecum jungere hymenæo,
Magnanimosque dabis gnatos, qui ditiæ regna
Sceptriferi in cunctis magna ditione tenebunt;